



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Tribunal Poenitentiæ Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut  
Reo Posterior De Confessario Ut Judice**

**Stoz, Matthäus**

**Anno M.DC.LXXXIX.**

§. 3. Quænam cadant sub sigillum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37144**

nitens est indispositus, aut indignus; vel cum adest magna Reipublicæ aut innocentis necessitas; vel cum ipsi pœnitenti valde esset utile; vel in quounque alio excogitabili casu. Nam hoc ipso fideles possent, & deberent metuere, ne Confessarius, sive tunc, cum consentetur, sive postea aliquando, illos aut aliquid illorum peccatum putet ex Zelo, velex alio affectu, vel ex passione, vel ex ignorantia, vel ex malitia comprehendi tub casu excepro, & revelet. Unde jam Sacramentum, quod mortaliter lapsis post Baptismum est summè ad salutem necessarium, esset hoc ipso odiosum, ab eo & ejus usu fideles abhorrerent, ejusque fructu & utilitate careret Ecclesia. Quod majus & gravius damnum ac malum est, quam si permitteretur interire integrum Regnum, vel totus orbis, & universa Ecclesia. Dicast. l.c. n. 16. ex communī. Ut ergo talis timor in usu Sacramenti Pœnitentiaz prorsus eximeretur fidelibus, oportuit pro omni casu excogitabili & totaliter revelationem prohiberi. Lug. l.c. n. 13. & ne quidem exiguum foramen, aut ostium relinqui apertum. Fagund. l.c. n. 7. sola spontanea pœnitentis licentia excepta.

### §. III.

#### *Quanam cadant sub Sigillum?*

191. Sigillum Confessionis sic obligat aliquem, ut generatim loquendo omnia & singula in secreto inviolabili servet, quæ ex Confessione Sacramentali cognovit; eamque facerent odiosam, si cum aliqua ipsis pœnitentis indicatione revealarentur. Reginald. lib. 3. cap. 4. in princ. & n. 45. Fagund. Pract. 2. lib. 6. cap. 4.

n. 3. Particulatim antem hoc explicando, cadunt sub Sigillum ejusque obligacionem. 1. Omnia mortalia sicut in specie, ita etiam in genere sumpta, dicendo v.g. *Cajus est confessus aliquid mortale*. Fag. cit. n. 1. & 4. 2. Omnia venialia, non tamen in solo genere generali summo, sed in aliqua specie, quacunque tandem, sumpta, dicendo v.g. *Cajus est confessus verbum otiosum*. Coninch. Diff. 9. n. 10, vel: *confessus est multa aut gravia venialia*. Lug. Disp. 23. n. 50. Tamb. de confess. lib. 5. cap. 3. n. 2. sed de hoc iterum infra n. 224. & seq. 3. Omnia, quæ aliquo modo sunt materia seu objectum peccati, uti est v.g. votum castitatis, contra quod conjux confitetur se petivisse debitum. Lug. l.c. n. 52. & virtutes, revelationes, aliaque dona supernaturalia, si quis confiteretur; se suisse DEO pro iis ingratum, ut bene distinguit in his Lug. l.c. n. 48. 4. Omnes peccatorum circumstantiae, omnes proprii defectus etiam naturales, & complicis peccata; si pœnitens tale quid in confessione ideo dicat, quia putat id esse necessarium, vel utile ad sua peccata melius declaranda; et si re ipsa nec necessarium sit, nec utile. Coninch. l.c. n. 13. Lugo l.c. n. 68. Modò tamen ejusmodi circumstantiarum relatio etiam aliquam infamiam aut dishonestationem. Palao de pœnit. Disp. nn. p. 19. §. 2. n. 6. vel verecundiam aut sinistram opinionem, vel aliquid aliud documentum per se vel per accidens pœnitenti possit afferre. Fagund. l.c. & cap. 3. n. 1. in fine. cum aliis. & cap. 5. n. 18. vel saltem circumstantia aliqua sit talis, ut eam pœnitens ipse non libenter extra confessionem alicui manifestare. Lug. n. 57. f. Deni.

3. Denique omnia, quæ licet peccatum non sit, in alicujus tamen peccati, & simul etiam in ejus, quiad confessus est, cognitionem possunt aliquando ducere.

Fagund. l. c. ut mox dicam. Horum omnium ratio est, quia si licet et aliquid tale revelare, redderetur Sacramentum Pœnitentiae valde onerosum & odiosum, ab eo que fideles absterrentur.

192. Ad predicta autem sic obligat Sigillum, ut ex iis nil quidquam directe vel etiam indirecte tantum liceat revelare. Fagund. l. c. Reginald. l. 3 n. 4. Tan. tom. 4. Diff. 6. q. 9. n. 120. Laym. l. 5. tr. 6. cap. 13. n. 1. Palao l. c. §. 3. ubi ait esse receptam omnium sententiam. Arque statutum Concilium Generale in cap. *Omnis urinusque. 12. de pœnit.* & remiss. ut Confessarius caveat omnino, ne verbo aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem quoad ea, quæ sub Sigillum cadunt.

Directe revelat aliquid sub Sigillo concentrum, v. g. peccatum, qui dicto, vel facto suo illud per se & in seipso manifestat. Indirecte autem revelat, qui illud per se & in seipso quidem non manifestat, sed tamen dicto aliquo suo, vel facto dat occasionem, ut alii rationabiliter seu prudenter id judicare vel suscipi possint de pœnitente. Lug. l. c. n. 106. ubi recte ait, ad Judicia & suspicione temerarias, quas mali homines ex levibus conjecturis desumunt, non esse hic attendendum, cum evitari non possint: caute tamen monet, suspicionem in una materia levem posse in alia esse gravem. Debent proinde Confessarii in omnibus suis dictis & factis valde esse circumspiciti; facillime enim violatur Sigillum in-

directe, ut Tan. l. c. n. 129, loquitur, & infra ostendetur.

#### §. IV.

An & Quomodo Sigillum servandum erga ipsum pœnitentem? ubi & quamdiu duret?

193. Obligat Sigillum, ut nemo de iis, quæ ex confessione cognovit, & sub sigillum cadunt, etiam cum ipso pœnitente extra confessionem sine ipsius licentia agat, verbo, signo, vel alio modo aliquid eorum ipsi indicando. Fagund. cit. lib. 6. cap. 3. n. 3. & cap. 4. n. 34. & cap. 5. n. 1. Laym. l. 5. tr. 6. cap. 14. n. 9. Palao cit. §. 3. n. 14. & alii unanimiter, quia cedit in confusionem pœnitentis & pudorem; reddereturque Sacramentum fidelibus odiosum; quod tanquam maximum malum necessarium est vitandum, ut loquitur Dieast. cit. Diff. 12. n. 81. In quo obligatio Sigilli multum differt à secreto naturali; quia hoc non violatur, si quis de eo loquatur cum illo, à quo ipsi commissum est. Fagund. cit. n. 34. Unde non potest, esam occulte, illum monere, ut defistat à susceptione Eucharistie, Matrimonii &c. necurgere, ut defistat à patrando scelere. Fag. cit. cap. 3. n. 6. & 7.

Aliqui apud eundem n. 86. & cap. 5. n. 1. & apud Dian. p. 2. tr. 15. Ref. 12. & p. 5. tr. 11. Ref. 18. in fine concedunt quidem, id esse graviter illicitum; negant tamen esse fractionem Sigilli; quia cum pœnitenti sua confessio non sit velata, ut pote jam ante nota, non potest ei revelari. Sed nonsunt audiendi; quia aliqui quidpiam revelare eri stricte loquen-

P 3. do